e diaeta atque regimine in prima infantia observando.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVI. M. JULII A. MDCCCLIX.

H. L. Q. C.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

HERMANNUS POHL,

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

S. THILO, MED. ET CHIR. DD.

A. PREU, MED. ET CHIR. CAND.

VRATISLAVIAE,

TYPIS HENRICI LINDNER.

PARENTIBUS OPTIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

Prooemium.

Ex quo recentior physiologia, mirandum, quantos pro-
ressus fecit, therapeutica claude pede sororem suam pro-
ectiorem insequitur. Attamen medico pro primo cordi
sse debet, ut aegrotantes qui suam salutem totam ei com-
nittunt, ad pristinam valetudinem reducat, quia rationem ei
eddendam esse et temporis et fiduciae puto. Necesse igitur
sse intelligo, ut acrius cum therapeutice nos occupemus, et
uam maxime agendum, ut quae physiologi perscrutationibus
uis forte eruerunt, in usam medicinae deducantur. Thema
issertationis meae ex diaetetice elegi, quam constituentem
go therapiae partem numero. Et de infantium prima edu-
atione physica scripturus sum, quoniam ab hac aetate bene
utrita futurae vitae pendere video prosperitatem. Non quo
go melius quam viri docti scirem, quid infantiae salutare sit
ed ut haberem, quod scriberem in meum et aliorum usum.
octrinam igitur physiologicam ut fundamentum et totius

medicinae et in specie etiam diaetetices in hunc tractatum generaliter tantum intuli, eo sensu, ut recta ibidem superstruerem principia, commodaque ederem praecepta, quae puum prolem servandum, spectent, et ultra medicinae fines propagari debent.

CAPUT I.

Rei publicae salutem in eo positam ac fundamentum esse, ut aeque corporis atque animi bonam valetudinem sibi servent cives, nemo est qui negat. Omnes viri docti et philosophi et medici, uno ore proclamant, somaticam educationem non minoris pretii aestimandam esse quam psychicam, et quam maxime enitendum, ut ab infantia jam diligentior adhibeatur cura ad prolem robustiorem validioremque reddendam. Ego vero, quamquam non me effundam in eorum querelas, qui ex naturae neglectu atque contemptu generis humani oriri et in dies succrescere ajunt imbecillitatem, tamen ad hanc optimam vivendi normam parentes, quibus sobolis suae sanitatem cordi esse oportet, perquam rejici debere confiteor, et in medicorum sanctissimis officiis duco, ut suo consilio peccata atque vitia avertant, quibus stultitia atque ignavia implicari solent. Nullum autem exstat tempus, in quo majori egeat homo cura atque ope, quam indigens et inops infantia, cui non solum plurima detrimenta propter inscitiam atque incuriam inferri solent, sed ea, quae inferuntur, cum maximo ac longissimo damno juncta sunt. Quocirca omni vi elaborandum, ut de prima infantis nutriendi et alendi ratione optima tales edere possimus regulas atque normas, quales in posterae vitae salutem maxime idoneas esse et natura et ratio consentiunt. Omissis igitur, quae de naturali ut ita dicam educationis praestantia jam pridem exposita leguntur, statim me ad eas diaeteticas institutiones convertam, quae quum ad medicinam interiorem spectent, tum infantilis aetatis propriae dicendae sunt. Neque res tritas atque vulgares repetere nunc in animo mihi est, sed quae recentior

physiologia de organorum structura et de nutrimentorum aptissima praeparatione exprompsit in usum doctrinae conferam, quae de infantium valetudine conservanda agit.

Ubi primum infans in lucem prodiit, spiritumque ducere coepit, clamando esus appetitum pronuntiat, matremque cujus sinum reliquit, de hoc desiderio explendo implorat. Vix ac ne vix quidem necesse est, ut de hoc debito ac naturali matris tributo verba faciam. Nemo dubitat, quin mulieri, nisi gravissimae obstent caussae, illud officium recusare non liceat. Quibusnam de caussis foeminae ab infantium suorum nutritione dispensari queant, fusius explicare hic locus non est, eoque magis abhorreo a morborum muliebrium huc pertinentium descriptione, quo facilius tu ex sequentibus intelliges, quibusnam sub conditionibus mulier illi postulato satisfacere polleat necne. Nolo intrare in medicinalium praecaeptorum recensionem hac de re editorum. Sed hanc potissimum quaestionem solvendam mihi proposui, quodnam ex organica structura infantis maxime idoneum sit alimentum, et quemadmodum idem alimentum compositum esse oporteat, ut nutriendi infantili organismo inservire queat.

In prima infantili aetate quam proxime homo ad cetera animalia accedit Neonati animales omnes in eo conveniunt, quod ex materno sinu unum idemque alimentum, lac scilicet, assumere coguntur Hoc in tempore organa digestionis nondum plane evoluta esse notum est, et imprimis ea deficiunt, in quorum varia structura varia vivendi et edendi methodus sita est. Maxillae eam nondum nactae sunt conformationem, qua ad solidiores cibos conterendos opus est, dentibus nimirum destitutae, qui quum duriora vel molliora pro sua quique firmitate et arripere et comminuere possint, tum in diversissimas naturae provincias vagantem faciunt hominem, unde, quo vivas, in vitae sustentationem conferat.

Quodsi brevi post partum infans ipse non ita exstructus est, ut omnes, quas ad digestionem pertinere constat, functiones committere queat, immo ex maxima parte ea, quae postea in usum venit cibos sumendi industria plane deest, patet organa ipsa non ad eum perfectionis gradum pervenisse, quo adultiores frui solent. Etenim quum de edendo apud infantes sermo

rorsus esse non possit et cuncta nutritio fere solum per po-
um absolvatur, elucet, molliori structura excellere infantium
rgana digestoria minoremque vim desiderari ad hoc negotium
erpetrandum. Re vera non solum, ut supra jam dixi, maxillae
psae praeter osseum, qui faciei efficit configurationem, oris cir-
uitum, tela induuntur mucosa, tenera, nullibi ad duriorem
rassitiem indurescente, nisi forte germina dentium excipis in
ac tela inclusa, sed etiam totus tractus intestinalis ea indiget
igiditate ac densitate, qua postea, si tunicae musculosae for-
us expressae sunt, insignitnr. Quin etiam ea organa, quae,
uatenus ad digestionem pertinent, auxiliaria vocantur, pristino
lo tempore nondum eam evolutionem praebent, qua vehemen-
ius ad ciborum concoctionem concurrere possint, et glandula-
um secernentium secretiones minores sunt, quam quae cum
liqua vehementia in ingestorum immutationem agere valeant.

Quodsi ex infantilis organismi structura ipsa concluditur,
rima alimenta ex fluidis consistere oportere, jam vero nullam
ubitationem de lacte habere possumus utpote optimo et uti-
issimo infantis alimento. Nihil est, quod huic substantiae a
atura ipsa praeparatae substitui possit. Quidquid arte para-
um in locum lactis usurpatur, eadem bonitate qua nutrientis
ecretum excellere, eademque commoda praebere nunquam va-
ebit. Experientia enim docet, infantes artificiali modo nutritos
egre eas periodos superare, quae quamvis regularem evolu-
ionem significent, tamen cum aliqua nervorum irritatione aut
um vasorum tumultu quodam junctae sunt, nedum eas perpe-
iantur affectiones morbosas, quae interdum nec ita raro tene-
is jam supervenire possunt annis.

Quum infans ipse primam suam inclinationem ad mater-
um sinum convertat, nihil profecto est, cur homunculo illud,
uod ipse appetit, recusetur. Utut jam dixi, nisi mater ipsa
mpotens est, ea, quae infans postulat, porrigendi, unicum
limentum primis mensibus in lacte consistere debet, ut ad
olidiores sibos transitus eum in modum instituatur, ut, quidquid
d edendum porrigitur, in sua compositione lactem quam
roxine accedat, nec nisi paullatim fluidam relinquat praepa-
ationem. Sunt qui tametsi usum lactis non plane condem-
ant, ejusque salutarem vim lubenter agnoscunt, tamen alias

praeparationes et compositiones quasi interponi nobis persuadere volunt, immerito, quia pro nutrimento lac solum prorsus sufficit, pro medicamento autem nihil porrigi debet, quod non ex morbosa conditione indicatum sit. Profecto autem lac ipsum omnes eas indicationes convenienter explere pollet, quae pro artificialibus et medicamentosis incitamentis invocari solent, et ut exemplo utar partu peracto tantummodo infantem ad mammas applicari necesse est, ut simul eae, quae ex foetali vita restant, excretiones plane e corpore infantis removeantur, cujus eliminationi neutiquam singulari medicinae auxilio opus est. In universum igitur cum nostro jure contendere possumus usque ad dentitionis introitum nihil aliud infanti quo subsistat, dari oportere, nisi lac a nutrientis corpore secretum, quo etiam omnes leviores, quae hoc tempore fortasse exoriantur, facile exstingui vides abnormitates. Tunc demum hanc pristinae aetatis peculiarem substantiam cum alia commutari oportet, si nutrientis vel nutriti corpus tanta percellitur rerum alienatione, ut ex morbo sic orto et secretum morbosum fiat, aut aeger infans alio ad recuperandam sanitatem indigeat adjumento.

Illud igitur firme tenendum, et in hac opinione quam experientia plusquam comprobavit, consistendum prae caeteris omnibus, quae ad nutriendum applicari queant substantiis primo loco stare lac maternum, cui, si res postulat, omnino suffragari potest aut prorsus ejus vices exsolvere lac nutricis validae, nulla morbosa dispositione inquinatae, et in extremis casibus lac animale, a domesticis nempe animalibus sumptum. Sub quaque autem conditione lac unicam esse substantiam patet, qua infantis vitam sustentari possibile sit. Nostrum nunc est hanc rerum conditionem physiologicis argumentis lucidius explanare.

Nulla per totam naturam invenitur materies, quae ex sua compositione magis idonea sit ad propositum istud assequendum. Quidquid ad corpus nutriendum desideratur, et brevissima via per facilem assimilationem hunc nutritionis commeatum efficit, lacte continetur. Duas, ut ita dicam, virtutes nostrum alimentum possidet; et quam maximam enim nutritivarum partium in se conjunctam habet copiam, et quam ci-

issime hanc copiam ingerit in organismum, cui tanquam succurrit optime in sanguificatione, quippe quum lacti veluti praeformatae insint partes, quae sanguinem constituunt. Tali modo lac reliquas omnes cibarias substantias antecellit, quarum nulla est, quae combinationibus suis adeo exaequet organicae materiei compositionem, cujus redintegrationi sempiterno nos egemus refectorio.

Recte jam experientissimus Prout olim monuit, lacte quasi typum completi nutrimenti expressum esse. Re vera si chemicam lactis compositionem accuratius inquisiveris, manifestum tibi erit, omnibus iis intentionibus praeclare respondere hanc substantiam, quibus infantilem jam organismum sese adaptare oportet. Primo nimirum loco infans cibum in universum appetit, sed natura ipsa fert, ut cibus porrectus talis sit, qualis digestoriis infantis conducat viribus, id est, ut caeterae, quae ad vitam sustentandam necessariae sint functiones, nihil laedantur. Ut igitur famem vel sitim pullulorum saties, minime prorsus nihil interest, quo modo haec satiatio fiat, immo videndum, ne functionum exinde damnum capiat processus, videndum, ut ex ingestis sanguis parari possit, quocum animam ducere et spirare facile commodumque opus est. Itaque ingesta non solum appetitum exstinguere debent, sed etiam bonae convenire sangnificationi et ei succurrere actioni, sine qua vita consistere non potest, dico respirationem.

Denique ingesta ei quoque scopo conferre debent, ut organismus incrementa sua capiat, quod quum celeriter apud infantes procedat et maxime in ossificationem vertat, videndum sane, ut bona alimenta corpori suppeditentur, quoniam id quoque experientia edocti sumus, maximam deformationum partem, quae infantili in conspectum veniant aetate, ex manca atque vitiosa nutritione oboriri. Lac tam solida quam fluida soluta habet, quae quum propter hanc liquidam consistentiam assimilitationem maxime adjuvent, tum, si ex liquidis depositio facta est, fundamenta quoque praebent, in quibus solidus organismi contextus exstruitur. Possidet enim lac partes albuminosas, caseosas, sacharatas, terrenas, salitasque, qua compositione cum sanguine comparata facile intelligitur, omnia ea in lacte inesse, quae ad sanguinem conficiendum neces-

saria sunt. Etenim et fibrinosae et albuminosae partes nec non salia, quae sanguinem efficiunt, etiam in lacte repperis, et si quid discriminis intercedit inter utramque substantiam, non tam majorem albuminosorum copiam id spectat, dum caseosa in lacte praevaleant, sed multo magis diversae fiunt ex organicis, quibus insigniuntur, virtutibus.

Quum enim lac nihil aliud repraesentet nisi liquorem nutritivum, sanguini organicae inhabitant facultates, quarum ope eae variae formationes perficiuntur, quibus telae constitutivae compositae esse dicuntur.

Etsi igitur lac e sanguine comparatur ita, ut ejus secretum appellari possit, tamen eum in modum utrumque confundere non liquet, ut alium alii prorsus aequalem ponamus. Etenim desunt in lacte nonnullae substantiae, quae quamvis derivativo tantum modo effingantur, tamen ad veram ejus indolem exprimendam perquam necessariae sunt. Dico prae caeteris fibrinum cum ejus appendicibus, qui varium colorem et consistentiam efformant, et quos in sanguine demum fieri verisimile est.

Restat, ut de variis lactis speciebus sermonem faciam inter se diversis, prout quaeque ab alio animantium genere venit. Hujus rei rationem habendam esse elucet, propterea quod infantes non solum humano lacte nutriri solent. Pro animalium diversitate, modo caseosae, modo adiposae, modo dulces prae caeteris praevalent partes. Sic foeminarum lac a vaccino eo differre scimus, quod caseosis haec magis abundet, dulcibus autem careat. Lac caprinum butyraceis ditius est, scitoque, peculiarem substantiam cui nomen dedere caprini, ex isto lacte extrahi posse, quae substantia ni fallor, aliquam similitudinem habet cum acidis pinguibus Ex quo satis elucet, non rem inanem aut futilem esse, si de eligendo lacte, utpote infantis alimento cogitemus. Etenim lac vaccinum non pari ratione quam hominis scilicet foeminae secretum assimilatur, et in consuedinem jamdudum apud mulieres abiit, quae neque ipsae neque per nutricem infantes suos alere possunt ut lac ab animalibus sumtum coquendo tenuius reddant, id est, caseosis et adiposis partibus liberent. Profecto vaccinum lac pinguedine excellens gravius est, quam quod facile a te-

ero infante digeratur, ejusque usus obdurationem et glandu-
arum meseraicarum intumescentiam efficere pollet. Tenen-
um enim, a natura lac vaccinum alii scopo destinatum esse
uam humanum. Bovina enim stirps citius succrescit quam
umana, ejusque incrementa magis in carnis celeri praepara-
ione, quam in ossium firmitate posita sunt. Nostra autem
rogenies lento procedit longumque intercedit tempus, prius-
uam suis pedibus stare atque incedere valeat homo. In
oc temporis spatio succorum commeatus id maxime efficere
idetur, ut nobiliora organa ad perfectionem suam proficis-
antur, quocirca prae ceteris necesse est, ut bonam sanguifi-
ationem curemus, unde variae rite procedere possunt meta-
norphoses.

Mittamus accuratiorem disquisitionem de lacte physiolo-
icam ex analysibus chemicis eruendam et consistamus pro
rimo in eo discrimine, quod modo adnotavi, nostri humani
eneris lacti plus dulcedinis et gratitudinis inesse, quam genu-
no et recenti vaccarum secreto. Sed adjiciendum nunc, hu-
nani lactis quoque permultas inveniri varietates, tum quia phy-
iologicae interdum differunt qualitates, tum qui variae vivendi
onditiones etiam humani corporis fabricam in diversissimas vias
rahere solent. Haec varia atque multiplex tam indefinita est, ut
este Bouchut non duae inveniantur foeminae, quibus prorsus ae-
uale secretum sit. Quin etiam idem auctor celeberrimus monet,
n eadem foemina secretum sempiternis et diversissimis modifica-
onibus obnoxium esse. Itaque non admirandum, quod foemi-
ae, quae debilem aspectum praebeut, bonae sint ad lac secernen-
um uberrimamque copiam praestent, e contra robustae durae-
ue parca utantur secretione. Harum anomaliarum causas nimi-
um ex constitutione, temperamento, aetate, victu aliisque pro-
rietatibus repetendas recte dijudicare, bonoque ordine constitu-
e haud facile opus est, et vix ac ne vix quidem puto, certis et
onstantibus signis singulas varietates cognosci posse. Ni
llor, huic rei aliquid subest occulti, quod oculos nostros etsi
icroscopica acie instructos effugiat. Tabulae enim a Becque-
l et Vernois de varia lactis secretione constitutae rem pla-
am non fecerunt, ideoque plurimi viri docti confugerunt ad
ervosi influxus suppositionem vagam, cujus ditioni obediat

secretio. Quodsi pendere ajunt hunc fluxum ex vitalitatis modalitate, tam ancipiti utuntur voce, ut melius sit confiteri, hujusque nos nescios esse de majoris minorisve lactis effluxus caussis.

Silentio autem praeterire nolo, aliquas lactis modificationes progigni iis permutationibus, quibus natura foeminam ipsam per temporis decursum inde a primo lactandi initio usque ad ejus exitum subjecit. Jamjam inter omnes constat, id quod statim post partum secernitur, multo differre a lacte, quod paucis diebus post sumére insolescit infans. Notum est, foeminas etiamsi non pepererunt, e mammis aliquid secernere interdum posse, quod cum lacte similitudinem quandam habet, quod colostrum viri docti vocaverunt. Hanc materiam flavescentem, magis granulosam vel mucilaginosam, paene aequiparat ea substantia, quae lactis sub specie primus horis post partum e mammis provenit, et forsitan huic majori tenuitati vindicandum quod primarum dierum lac plurimum conferat ad meconium eliminandum, etsi Lassaigne eandem vim purgantem minime a qualitate colostri simili sed a pinguibus firme cum lacte cohaerentibus exoriri putat.

Haud a vero me recedere opinor, si in dies magis magisque meliorem consistentiam majoremque pro infante nutritivarum partium opulentiam lac nanscisci contendam. Forsitan ipsa illa periodus, quae tumulto sanguiferorum vasorum significatur, et ab origine sua febris lactea appellatur, optime demonstrat, lac eam qualitatem adepturum esse, quae humano fructui sustentando et provehendo prae reliquis omnibus utilis dicenda est. Neque abnuendum, naturam tam provide atque benigne hac in re quoque egisse, ut quo majora incrementa creatura humana capiat, eo aptiora ei parentur et offerantur alimenta, ita ut proportio tanquam detegi possit inter organorum imprimis digestoriorum evolutionem et inter lactis, scilicet principalis alimenti emendationem, etiamsi omnis hujus liquoris immutatio in eo solum versetur, ut insita copia albuminosarum et dulcium partium augeatur, quippe quae ob gratitudinem suam infantis appetitum irritent satientque.

CAPUT II.

His praemissis convertere me volo ad eas abnormes conditiones, quae lactis secretioni rite procedenti officiunt, ejusque bonas virtutes in pejus vertere valent. Notissimum est, nimis diuturnam lactationem bonitati lactis nocere, et hunc liquorem tenuiorem, limpidiorem, aquosiorem reddere. Verumtamen non solum de tota lactandi periodo hoc dicendum est, ita ut, si ejusmodi comminutio intraverit, quasi digitis ostendatur, tempus ablactationis adesse, sed etiam de singulo quoque die idem dictum valere opinor, si quidem nimia organi alicujus intentio ejusdem energiam labefactat, nec non oeconomiam plus minusve evertit. Physiologi quidem detexerunt, non statim primis momentis, ubi infans os suum ad mammam applicat, lac verum secerni, sed quodammodo pluribus tractibus opus esse, ut hujus liquoris fabrica rite procedat, et ex omni parte bonam productionem porrigat. Dato hoc atque concesso nihilominus cuique elucebit, eam foeminam, quae certis horis sufficientem quantitatem lactis sugenti praebeat, melius se habituram et largius edituram, et rectius pro infante suo consulturam, quam quae iniqua liberalitate irregulariter, modo immodice modo parce mammas aperiat, neque ullo ordine observato et suam et infantis valetudinem obtrectet. Quocirca experientissimus quisque medicus semper clientibus suis persuasit, ut mature jam infantes distinctis sugendi temporibus assuescant, quo facto organa secretoria in regularitatem quandam cum totius organismi harmonia congruentem introire coguntur, foemina sibi ipsa quietem dare et restitutioni suae providere potest, nec non infans ad tranquillam et normalem ingestorum digestionem deducatur. Sic ea, quae par est, otii et negotii vicissitudo utrique et matri et infanti procuratur, id quod magni momenti etiam apud infantes esse puto, quippe qui ex hac regularitate accurate et diligenter observata non solum justa incrementa capiant, sed etiam facilius sensimque ad eam periodum tanquam praeparentur, qua lactis doses minuere et ad alios cibos transire necesse est.

Natura ipsa fert, ut lactis bonitas quam maxime dependeat

a matris victu, eoque magis infantili appetitui satisfaciat, quo secundior illius valetudo sit. Si qua foemina penuria pressa ad pravos et male concoquendos cibos confugit, auspicandum sane est, haud multum commodi infantem a tali matre habituram esse. Et de hac re physiologicae non desunt inquisitiones sed ut laudandum sit, quod viri docti expromserunt, nempe quantitatem secreti minime alienari, quid hoc ad rem? Certe bonae lactis virtutes, etiamsi copia eadem remanserit deerunt, si mater non ea alimenta ceperit, quibus ad suum ipsius corpus sustentandum opus est.

Longum est, omnia ea enumerare incommoda, quae quum matrem afficere possint, tum in infantem quoque agere valeant. Obticere autem non possum, nihil melius bonae secretioni conducere, caeteris scilicet paribus, quam animi tranquillitatem. Omnes quodammodo functiones sub jussu systematis nervosi exercentur, et lactis quoque secretio huic imperio paret Quam perperam animi tumultus ferocesque impetus in lactationem agant, fusius explicare non opus est, praesertim quum quotidiana doceat experientia, infantium aegritudines mali materni habitas esse sequelas. Breves opusculi hujus fines omnino me impediunt, quominus ea pertractem, quae ad lactationis pertinent historiam, igiturque supersedebo discussioni de nutricis electu, de nutrientis vivendi ratione, multisque aliis ejusmodi rebus, quae quum re vera ad materiem nostram spectent, tum in quolibet enchiridio medico satis superque pertractantur, ita ut aut repetere, quod alii melius jam dixerunt, aut tritis denuo tempus terere ego viderer.

Itaque pauca tantum verba faciam de artificiali infantium nutritione, quae, uti jam supra commonui, neutiquam genuinam educandi methodum aequiparare pollet, immo etiamsi cum diligentia perpetretur, id quod raro obvenire proh dolor tristia exempla testantur, satius, quam par est, aditum morbis aperit, et irruente aliqua calamitate vix ad resistendum paratam relinquit sobolem. Nonnullas saltem cautelas commemorare, quae prae nimio damno infantes tueantur, superfluum non erit. Ante omnia monendum, ne ad alia prorsus aggrediantur foeminae nutrimenta, quam quae materno lacti simillima sunt. Ergo, si qua mater neque per se neque per aliam foemi-

iam infanti alendo providere potest, lac saltem sumat vacci-
num, easdemque huic liquori qualitates tribuere studeat imi-
atione, quas apud maternum secretum invenire solemus.
Scilicet lactis dulcedinem, limpiditatem, temperiem variis ad-
ditamentis efficere possumus, quo facto supervacuum erit, im-
mature de solidioribus cibis cogitare, quorum ope mulieris cor-
ruptos et enervatos infantes recreare falso opinantur. E con-
ra si lac vaccinum recta praeparatione ad digestionem aptum
edditur, non solum commodo infans eodem frui potest, sed
tiam cum levi negotio ad fortiora transibit alimenta, in qui-
bus nominatim dico juscula, quorum immaturus usus potius
vertit quam roborat.

CAPUT III.

Postquam de optima infantes alendi ratione hucusque
ocutus sum, transeundum mihi est ad reliquas conditiones,
quae ad primae infantiae victum atque regimen spectant. Prae-
er nutritionem praestantissima momenta, in quae medicus
nimum suum convertere debet, munditie sunt, vestimenta,
ëris, quo infans utitur, temperies, et si vis corporis exercita-
io. Mos est inveteratus, ut obstetrices infantem, quem modo
genitalibus matris acceperunt, balneo tepido immitant, et ab
mni impuritate mundificent. Haec balnea repetenda et per
ongum tempus continuanda esse omnium medicorum consensu
audatur. Quin etiam haud ineptum equidem esse puto, si
uotidie ejusmodi lotiones instituantur, neque in eundem me-
um incidere volo, quo commoti aliqui balneorum tepidorum
erpetuum usum dissuaserunt, ne nimia, uti ajunt, emollitio
tque enervatio succedat. Omnino in universum conceden-
lum, calidam aquam corpori minus conducere, rectiusque
cturos esse eos, qui paullatim frigidiori temperiei liberos
ssuefacere student. Optimum igitur erit, modicam et aequa-
em aquae balneo adhibitae temperiem semper servare, neque
uidquam sano infanti nocebit, si tempore aestivo aquae non
alefactae imbuatur. Ut vero saluti liberorum proficuum sit,
i frigori tolerando gradatim et sensim aptiores redduntur,

tamen quam maxime abhorrendum esse censeo ab imprudent aquae frigidae usu. Prorsus temere facere eos arbitror, qu infantem modo ad lucem egressum statim ejusmodi barbaric experimento subjicere velint, et primis jam hebdomadibus ve mensibus flumini eum immergi aut gelu tremere gaudent. Tan insanae audaciae poenas liberos ipsos soluturos esse, facil auspicari potes. Desistendum sane ab iniquis liberorum cruciatibus et a rusticis consuetudinibus violenter introducendis Non quo aquam ipsam infantes reformidare cogantur, imm quam maxime optandum, ut cum gaudio atque voluptate in aquam immitti se sinant, ibique per tempus sufficiens versentur. Tenendum autem, aquae usum non solum idcirco introducendum esse, ut duriora fiant tenera corpora, sed prae caeteris hac institutione pro munditie cutisque cultura providendum est. Huic proposito potissimum indulgendum esse censeo, propterea quod infantes proclives sunt ad cutaneas efflorescentias ex interna acrimonia aut alio quodam morbosc habitu progressas, et levissima quaeque corporis inquinatio lubenter in externam superficiei laesionem vertit. Vegetativa enim vita apud infantes praevalet neminemque fugit, exanthematum puerili aetate obvenientium legiones enumerari posse. Et mehercle in plurima gente potius timendum, ne justa puritatis cura negligatur, quam ut nimio emollitionis metu commoti parcos hac in re esse parentes jubeamus. Nulla fere invenitur aetas, quae tam libenter in cutanea mala inclinet, praeter infantiam, quorum morborum primam ansam de regula in curia in colenda cute praebet, neque ullum detegi posse puto remedium, quod ad haec mala avertenda, mitiganda, depellenda cum majori fructu adhibeatur, nisi balnea, quae omnibus impetiginibus, porriginibus, caeterisque ejus generis acrimoniis in cute erumpentibus cum commodo commendantur. Hinc prorsus dissentio ab eorum opinione, qui parvas lotiones infantibus sufficere contendunt, nec nisi spatio aliquot dierum interjecto balnea reiteranda esse putant.

Etiam ex incauto balneorum usu infantem damnum capere posse, non quisquam infitiari velit. Quam ob rem nonnullas cautelas observare et in hoc negotio opus est. Si quis infans febrili aliqua affectione laborat, sane a balneo abstinendum

st, nisi medicus ipse balneum pro morbi remedio adhibere vult. In universum omnis catarrhalis affectio, cui diarrhoeam quoque adnumerare potest, contraindicant aquae externum usum, exceptis iis videlicet casibus, ubi medicina aquam indicat, quam etiam diarrhoeae interdum pro therapeutico habeo axiomate. Igitur nisi aegrotanti et febricitanti balnea semper et ubique commendanda sunt, eoque magis, quo recentior infans est, quo crebrius necessitas ipsa nos cogit, ut corpora, quae minimis jam temporis intervallis denuo excrementis suis inquinata cernis, ab omni putore ac foetore liberentur. Quam corrodentia prima potissimum infantia excrementa sint, nemo nescit, neque unquam persuadere mihi possum, satis esse hac in re, ut linteo partes maculatae detergantur, aut ut pulveres sive pollen inspergantur, ne intertrigo superveniat. Unicam, quae omnem cutaneam inflammationem arcet, aquam tepidam esse video, quippe quae non solum abluat omnem pollutionem, sed etiam partes relaxet, irritationem mitiorem reddat, nimiam secretionem cohibeat. Hinc iterum iterumque monendum, ut quotidie repetantur balnea apud teneros infantes, et si qua remissio locum habere potest, intrare eam jubeas provectiori aetate, qua excretoriae functiones magis ordinato modo procedunt, et infans jam didicit, ad nutum colatoria sua aperire.

Sunt praeterea quaedam aliae cautelae, quas in apparando balneo observare utile perquam duco. Nimirum cavendum, ne refrigerio exponatur infans in balneum transportandus, quam ob rem congruere debet balnei ipsius temperies cum loci, quem infans inhabitat, calore. Insanum esset et periculosum si tempore hiemali in conclavi non calefacto balneum pro infante pararetur, et multo melius saluti ejus conferret, si aquam frigidam adamare cogeretur, ac si repetita vice calidum aërem cum frigido commutare et temperiei vicissitudines quas maximas perferre eum juberes. Idcirco nec sudantem infantem aquae imbuere sines, neque magis tunc temporis injicies, si forte brevi antea ventrem suum impleverit. Etiamsi fluida tantummodo in ventriculum ingeruntur, tamen, ubi infans eum, quo vescitur, liquorem hausit, in statum digestionis sese contulit, et pariter omnino se habet atque adultus, qui coenam suam

modo absolvit. Nemini autem in mentem venit, statim post coenam in aquam introïre, quocirca eadem praecautio etiam apud infantes vigere debet, quum digestionis vires etsi pro aetate diversae tamen in eo consentiant, quod si quis impetus hoc negotium turbavit, totus exinde organismus percellitur, et in febriles exacerbationes degenerare subinde potest.

Denique certi omnino sunt fines, quoad tempus, quod infans in balneo manere debet. Quam maxime exhortandum ne terminus ad quem nimis prolongetur. Sunt, qui, ut longius tempus infans in balneo versari possit, refrigeratae aquae subinde tepidam adjici jubent, injuria; nam ejusmodi perpetuae cum aqua tepida affusiones nihil emolumenti afferunt, immo eorum opprobria confirmare valent, qui ex calidis fotibus imbecilliores reddi liberos non sine veritatis praetextu contendunt. Idcirco ita res erit instituenda, ut si temperatae aquae immisus est infans, ad summum decem minutas ibidem versetur, et simulac cutis infantis asperitate quadam aut levi rubore significavit, satisfactum esse desiderio et algere corpus, statim linteis suis involvatur infans et detergatur, siccus in lectum suum transponatur. Commendant nonnulli, ut acriter fricetur corpus infantile, ac si strigili veluti equum id tractare opportunum esset; sub quibusdam sane conditionibus cutis fricationes laudabiles apparebunt, sed nescio, an vituperandum sit, talem regulam diaeteticam statuere. Si qua levis cutis irritatio indicata est, melius perficietur per balneorum additamenta seu saponacea seu furfuracea, et in universum ab omni castigatione plane abstinendum, quum aspersiones et affusiones prorsus sufficiant.

CAPUT IV.

Quod ad reliquum parvulorum regimen attinet, de vestitu acriter propugnandum pro commoda ac levi gestatione, nullis fasciationibus impedita. Diu inter viros doctos dimicatum est, de fasciarum abdominalium necessitate, neque ego tanti pretii hanc involutionem esse censeo, quanti eam obstetrices facere volunt. Inveniuntur totae nationes, quae hunc morem corpora

nfantilia colligandi plane ignorant. Et profecto haud exigua lamna ex nimis arcta fasciarum applicatione suboriri possunt, uae quum organa praecipue nobilia, pulmones videlicet et inestina aggravent, tum praestantissimas admodum laedunt funtiones, digestionem nempe et respirationem, quin etiam infanem a vociferando atque clamando prohibent. Paullo forsan udacius quam par est nonnulli fascias accusaverunt, quod omitus incoercibilis ansam dent, sed concedendum sane infanem, cui liber motus defendatur, multo magis ad inquietudinem ergere, quam qui desideria sua, quin etiam dolores jactatione nembrorum manifestare polleat. Neque obliviscendum, fasciaionem si recte in rem inquiris, ab initio soli funiculi umbilicalis bliterationi servire, quo facto nulla jam exstat causa, cur haec nstitutio in dies crastinetur. Ut primis hebdomadibus, firma bdominis ligatio salutaris sit, quippe quae laxas membranas oerceat, quominus in herniam interdum etiam colicos dolores pprimant, quibus prae ceteris alvus parvulorum subnoxia esse idetur, ultra terminum hanc consuetudinem prolongare superacuum, ne dicam insalubre est.

Res attentione medicorum dignissima somnus est, quem um vigilia accurate aequiparare apud infantes multam exposit diligentiam. Scimus neonatos prima vitae tempora fere uncta per somnum degere, neque tunc quidem quum ad mamnas appositi sint, ex hac quiete expergefieri. Sed quo magis partu infans recedit, eo crebrius oculos aperire solet ita ut rimis mensibus praeterlapsis infans jam nonnullas horas vigil sse queat. Exinde elucet, sensibilitatem ex omnis cerebri unctionibus eam esse, quae primas patiatur impressiones; inans enim e somno esuscitatus circumcirca omnia conspicere et magines rerum in se recipere studet. Cavendum autem, ne imis negotiosa fiat sensuum irritatio, quoniam sensibilitate lus justo adaucta irritationem et inflammationem meningum ut cerebri subsequi constat, qui morbi facile organismum arvum adoriuntur. Metiendum igitur et otium et negotium, t cum provectiore demum aetate longiora somni spatia pedeentim abbrevianda. Nimirum noctes potissimum pro quiete eservandae, tum quia per totum tempus humanae vitae d hunc finem recreationis institutae sunt, tum quia aliae

quoque causae admonent, ne naturae jussa temere negli-gantur.

Diu acriterque viri docti disceptavere, utrum ad somnum faciendum cunabulum statuendum sit necne. Alii putant, las-situdinem ipsam facere, ut quolibet loco idoneo id est moll somnum capiat infans, alii leni oscillatione opus esse conten-dunt, ut infans in somnum incidat. In neutra parte equidem stare velim, neque enim unquam concedam, bonae valetudin lenem jactationem quidquam nocere, neque perquam necesse esse video, ut somniosus infans ad naturae desiderium explen-dum singulari motione praeparetur. Vana quidem et paene superstitiosa opinio est, in lecto pensili aut agitato cerebrum quoque moveri, qua cerebri agitatione ingens ad caput san-guinis affluxus cieatur; nisi physiologica argumenta huic inan thesi contradicerent, experientia ipsa, quam falsa sit, satis superque declararet. Etenim tot infantes in cubilibus educantu et prorsus sani ad eum usque terminum perveniunt, quo cum alio lecto hanc pristinam suam sedem commutant, ut de damno quod inde ceperint, sermo fieri non possit. Nihilominus cum cunabularum usu ex imprudentia atque stultitia foemina-rum nonnulla interdum juncta sunt incommoda, quae sanitat parvulorum obesse pollent. Leviores enim et ignaviores mu-lieres quamque liberorum insomniam, quemque dolorem, e quamlibet inquietudinem eo tollere volunt, ut invito infant somnum per pensitandas cunas efficiant. Etiamsi igitur nerv per motum oscillatorium sopiuntur, tamen haec insopitio quippe quae artificialiter adducatur, minime veras inquietudi-nis caussas tollit, quae de regula morbosas conditiones sive psychicas sive corporeas subesse ostendit

Denique de aëris in infantes influxu paullulum mihi disse-rendum est. Nihil profecto tam perniciose in parvulorum va-letudinem agit quam aër insaluber. Hinc illae lacrymae, quae de magna mortalitate in hospitiis fluunt, ubi nimia liberorum copia angustis domibus conferta querulam tantum spirare possunt. Hinc quoque evenit, ut in pauperibus familiis pro-les miserrimam agitet vitam, matureque morborum semina in-haurire cogatur. Si qua aetas eo pabulo indiget, sine quo vitam sustineri non posse medicinae pater olim professus est

rofecto infantia quam maxime hoc alimentum desiderat. Id autem, quod parvuli in obscuris, male olentibus impuris conclavibus inspirant, magis veneni instar censendum, neque negandum, eximiam apud infantiam mortalitatem, quam praecipue in magnis et populosis oppidis animadvertimus, non tam ex ejusdem aetatis imbecillitate, quam ex aëris impuritate exoriri. Etenim non omittendum, adultiores cum leviori negotio ejusmodi calamitatem superare posse, quoniam subinde domos suas relinquunt, et ad meliores regiones confugiunt, neonati autem, quamdiu a nutricibus suis aut servis portantur, fere nunquam conclavi emitti, et diu noctuque in eadem atmosphaera remanere. Quinam ex corrupto aëre procedunt morbi, longius enumerare superfluum est; jamjam nemo negabit, scrofuloseos, rhachitidis multorumque aliorum malorum et germina et incrementa ex hoc fonte manare. Quamdiu nos impotentes sumus, has sociales conditiones emendandi et reformandi quae infimam plebem adeo premunt, ut vix respirii copiam habeat, tamdiu numeri et catalogi mortuorum ex hac potissimum gente plurimum electum habebunt, magnam semper junioris sobolis dolebimus stragem. Quocirca ii saltem, qui secundiore utuntur fortuna, maxima cum diligentia curent, ut infantes loca inhabitent, quibus aditus aëris non recluditur, et quando bona, sicca, calida temperies concedit, extra domum versentur. Et suadendum porro opulentioribus, ut peculiare cubiculum designent pro parvulo, ubi cum nutrice sua solus commoretur. Tali enim modo cavebitur, ne infans aërem inspiret per cohabitantes inquinatum.

Notatu dignum, quod in statisticis tabulis, quae de Francogallorum imperii populatione nuperrime editae sunt. Majorem quidem in oppidis quam in rure mortalitatem invenis, id quod mirum esse non potest, simul vero hujus regulae exceptionem apud eos infantes observas, qui primum vitae annum nondum egressi sunt Notum est, Gallos, quorum leves animi in proverbium abierunt, vitam domesticam vilipendere, foeminasque sanctissimo supersedere munere, educandosque liberos alienis tradunt. Parisienses rusticis neonatos committunt, et demum aliquot annorum spatio interjecto domum hi revertuntur. Hinc intelligis, cur apud Francogallos major nu-

merus parvulorum rure supremum diem obeat, veroque simile est, hujus infortunii culpam incuriam esse, qua infantes ab alienis tractantur. Ut magnum et praeclarum stimulum maternum erga infantes amorem natura in pectora injecit, unde optima floridae prolis opes capessi potest. Quantopere autem rei familiaris bona constitutio parentumque erga infantes caritas ad horum salutem conferunt, nuperrime in opusculo suo Exp. Dr. Glatter numeris demonstravit, quam biologicas Judaeorum rationes cum Christianis compararet confessionibus. Quoniam illi ardentius quam aliae nationes domesticam vitam diligunt, et firmioribus vinculis cum prole sua junguntur, citius non solum eorum stirps augetur, sed etiam singulus quisque longaeviorem vitam augurari sibi potest.

Sed redeamus post hanc digressionem ad rem. Ad diaeteticam pertinet quoque corporis excercitatio, quam strictiori sensu omnino primae aetati convenire nego. Hoc enim tempore totum systema musculosum adhuc otiosum est, et vesaniae incusaretur, qui labores sustentandos infanti imperare vellet. Quamvis vero de exilibus infantis viribus nemo dubitet, neque activas ei imponat intentiones, nihilominus in hac virium intentione multum peccari persuasum habeo. Etenim eosdem musculos, quos debiles et imbecillos esse natura voluit, dementes mulieres aliquid praestare jubent, quod humeri infantiles ferre nequeunt. Vix ac ne vix quidem parvulus caput, ne dicam totum truncum sustinere pollet, quocirca ita natura instituit, ut ab aliena manu portetur. Naturae igitur convenit, ut hunc situm servent nutrices aut curatrices infantem, sed pros dolor quotidie aspicis tenera atque gracilia corpora, quae praeter naturam in brachiis feminarum sedere coacta sunt.

Ubi primum infans maternum uterum reliquit, aegre alios motus exercere, aegre alium situm observare potest, quam quos in pristina sede coluit. Sero demum, si musculi trunc aliquam adepti sunt fortididudinem, sponte caput efferre sole infans et in lecto suo insidere concupiscit. Postquam plurie ultro haec conamina infans repetivit, intentiones ejus adjuvan dae sunt, et alius situs addiscendus. Atque cavendum, n haec molimina plus justo elongentur. Recidivo enim capit infans ipse lassitudinem suam ostendit, et ad hunc nutum conce

endum, ut in pristinum statum redeat. Ex harum praecautionum omissione tot tantaque pericula emanant, quae totam futuram vitam quam molestissime perturbant ut mirandum sane st, quod minor quam par est, in hac re diligentia ponatur. am columnae vertebralis decurvationes et deformationes, colioses, lordoses, cyphoses inde initia sua capiunt, quae mala ustra posteriore tempore medicus exstirpare invitatur. Eadem itio est cum primis insistendi in terra locoque se movendi conatibus, quos prorsus infantis voluntati committere neque imature inaugurari oportet.

CAPUT V.

Equidem non ignoro, me tantum lineamenta quasi diaeteces pro infantibus intra dissertatiunculae fines designare posse. Quam vehementer autem concupiscendum, ut medici et parentes nec non omnes, qui civitatis saluti et generis humani felicitati benvole sunt dediti, in hanc materiem sane arduam atque aboriosam attentionem suam dirigant, ex collectionibus patet, uae de mortalitate civium in diversissimis instituuntur regioibus. Ut taceam de innumeris morbis, qui hanc potissimum etatem affligunt, et sempiternae miseriae tanquam nuntii vadunt, quorum maximam partem melior de infante educando ntellectus fortasse evitare aut saltem corrigere valet, nonne errorem nobis injici opus est, si viginti et quinque myriades nfantum, qui nondum ad primi anni finem profecti sunt, quoannis perire audimus, igitur e quatuor parvulis vix dimidiam artem vitae perfruendae spem habere? E tabellis, quae Beroini publici juris sunt factae, sumo singulis mensibus numerum nfantium primo aetatis anno defunctorum, cum universo moruorum numero comparatum, ita se habuisse 225: 864. 271: 878. 253: 852. 251: 802. 324: 995. 243: 900. 277: 917. 313; 829. 502: 1141. 588: 1273. 353: 1176. 261: 1028.

Ex his numeris satis superque elucebit, quam importune hac prima vitae aetate humanum genus agitetur, et licet nimia Saturni voracitas ex anno Cholera afflicto sit derivanda, illud

quoque neminem effugiet, etiam epidemicis cladibus durius prosterni sobolem natu minimam, et ea potissimum devastari peste, quae infimae plebis domicilia lubentius appetere, et in putidis pauperum tabernis facilius insidere videtur. Tam indolenter gens humana vivere pergit, ut plerumque horrendis atque taeterrimis caedibus opus sit, ut ad diligentiorem vitae cultum sese erigant; et adversissimis demum rebus cives civium saluti aliquid sacrificare audimus. Pro infantibus consulere raro consociata hominum charitas, quae tot tantisque susceptis hodierno tempore invocatur, operae pretium putat, et eheu nimis hac in re, fiduciae ponimus, in paterno aut materno amore. Qui quam exiguus sit, ingens optime declarat celatorum partuum copia, quorum fructus alienis manibus quam citissime traduntur, eo saepe consilio, quod de prosperitate ibidem vigente jam dudum desperatum est. Et quoties sinceram liberos alendi voluntatem inopia extrema et tristis fortuna in taedium atque odium prolis, oneri factae convertunt?

Non me decebit, in morum ac temporum castigationes effusum quaestiones perorare, quae gubernatorum sapientiam, praedicatorum eloquentiam, medicorum experientiam, quas maximas efflagitant. Id vero praetermittere nolui, medicinam solam nihil fere succurrere posse, si cum fortunae adversae injuriis ei dimicandum sit. Antiquissimi legislatores rei publicae bene constituendae fundamenta sapienter in educatione posuerunt. Etiamsi hodie nos omnes barbaricum Spartanorum morem condemnemus, qui liberos pessum dari, quam debiles in futuro esse maluerunt, tamen in eo prudenter actum esse opinor, quod non totum educationem plane parentibus committendam esse putaverunt, immo rei publicae consules hujus negotii participes esse statuerunt. Quocirca etiam Aristoteles Lacedaemonicam institutionem omni laude extulit, et apud omnes gentes, quae nondum nostram politiorem culturam gustaverunt, similem si vis rudem atque incomtam consuetudinem invenis, liberos ab ovo jam duriores reddendi, id quod saepissime admirationem Europaeorum molliori et luxuriosiori cultui assuetorum admirationem movit.

Haud ineptum esset, si quis comparativam infantilis educationis historiam ex variis nationibus depromtam conscriberet

tenim etiam pro climaticis conditionibus variant hominum in ducando mores atque consuetudines, neque mirandum, quod ui meridionales incolunt regiones populi, liberos suos ocius oras exire sinunt, quam nostrates, qui per maximam anni artem cum coeli duritie dimicant. Eandemque ob caussam lic levioribus integumentis obtecti aut plane nudi parvuli circumferuntur aut in terra jacent, quum apud nos indusiis induti ere nunquam lecticulam deserant. Dubitari nequit, quin eae ationes, quae puerulis majorem libertatem concedant, proius ad naturam appropinquent, nos autem emolliendis magis effoeminandis corporibus suffragari. Etenim sempiternus cticulae usus prohibet, quominus frigidiuscula temperie inntes domum relinquant, nec ita raro apud nos evenit, ut qui ıb finem anni in lucem provenerunt, per sex vel plures menes in uno eodemque eonclavi inclusi commorentur. Si praeerea propter ignaviam, plurimam diei partem nutrix infantem ı cunabulis remanentem facit, nostro jure augurari possumus, tali regimine validam constitutionem prodituram non esse.

Uti diaetam in universum, sic in specie ablactationem ultum e consuetudinibus pendere expertum est. Magnus phiosophus Plotinus traditur, quum scholam jam frequentaret, ammas petivisse, et clarissimus Bouchut foeminam tam diu uerulum suum aluisse enarrat, donec hic gratias, jam satis, ıis verbis pronunciaret. Re vera nonnullae regiones etiam ineniuntur, in quibus serotinae ablactationis mos jamdudum ineteravit, et facete quidam, si fabula vera, in Guestphalia venisse ait, ut puer, postquam suxerat, sibi ipse pipam in diestionis gratiam incenderit. Sed ne ludibriis tempus teram, atura solummodo duce utendum est, si bene cum infantibus gi volumus. Inter omnes constat, solidiores cibos initiari osse, simulac dentes in ore in conspectum venerunt; his igitur rorumpentibus tempus est, lacti alia alimenta substituere, et t a mammis paullatim desuescat infans. Dentes vero intra ctavum et ultimum primi anni mensem prodire solent, quorca infans nonum mensem agens commode a sugendo desuetus sse potest, cum incommodo autem post praeterlapsum annum uic soli alimento vitam debebit. Non omittendum, multas ulieres isto temporis spatio denuo jam gravidas esse factas,

neque quisquam ignorat, nonnisi cum detrimento suae et infantilis valetudinis gravidas liberos nutrire. Quin etiam nutrices de consulto ab omni venereo amplexu abstinentur, ne genitalium irritatio, menstruorum fluxus, nova conceptio eos, quos sugendo inservire succos oportet, alio dirigi cedatur. Jubent nonnulli, cum ablactatione tam diu cunctari, quam diu primi dentes in prorumpendo sint, ita ut tunc demum infans maternum sinum plane deserat, quum tota anterior apertura oris dentibus ornata et quasi circumsepta sit. Dubito, an huic opinioni cedendum sit, nam tanta cumatura hostiliter in matrem facile sese converteret, et dentibus nondum egressis gingiva acuta acie sua papillas vulnerare, et excoriationes, ulcerationes procreare pollet. Dolorificam igitur et molestam statueremus actionem, si infantem dentibus armatum sugendo aptum declararemus. Accedit praeterca, quod hac provecta aetate ea officia, quae hucusque praestiterat mater, eadem prosperitate amplius non procedant, atque secretio aut quantitate minuta aut qualitate deterior appareat. Cui bono igitur infanti alimentum porrigere, quod neque justo commeatu suppeditari, neque corpus, cui detur, recreare, immo eum organismum, unde emanat, valde conficere potest.

CAPUT VI.

Quum ad finem opusculi mei progrediar, liceat mihi dissertationi peractae aliqua praecepta generalia addere, quae quum de infantili in universum agant aetate, tum medico imprimis mandanda sunt utpote morbosae quoque conditionis utilia suffragia. Penitus enim persuasum habeo, maximam partem paediatricem diaetetice contineri, multasque aegritudines liberi evaderent, si parentes diligentius eorum salutem curarent. Infans nunquam de consulto aut sponte vitium diaeteticum subibit, id quod adultiores temere faciunt, postea levitatis et stultitiae poenas soluturi. Immo infans crebrius pro adultorum crimine poenas luit, quin ipsa ista sollicitudo, quam parentes erga liberos praebent, non raro in crudelitatem et inimicitiam vertitur Quid enim aliud detestabilis ista cupido

d levissimam quamque inquietudinem linctibus, syrupis, opia-s aegrotantes adoriri, diarrhoeam ciere, si infans vomiturus t, congestionem augere, si de ea amovenda agitur. Aliqua x parte haec lacrymosa sedulitas etiam in medicos migravit, uorum polypragmasia nullo alio loco indecentior est quam pud infantes. Pro hac aetate et paucae sufficiunt regulae et auca medicamenta, quorum sapienti dispositione et ordina-one semper fructuosa parabitur medendi via.

Idcirco firme tenendum, prima infantia organismum laxitate uadam atque mollitie excellere, quippe quum lymphaticum ystema plurimum valeat, totique succi, acsi omnia in stadio ormationis essent, fusius atque solutius in corpore versentur. ecte veteres dixerunt, neonatum incompletam repraesentare reaturam, et re vera ex organis alia laete agitantur, alia muta tque inertia sunt. Hinc modo acerrimam exaltationem, modo btusam insensibilitatem animadvertere potes. Diu cum morbo onflictari, multas gravesque procellas sustinere pollet infan-lis organismns, neque corpore plane decumbente spem sana-onis medicus amittet, sed levissima quoque injuria idem laces-t et ad vehementissimam evocat reactionem. Et uti jam supra ixi, reproductionis plurima negotia sunt. Ea, quae chylifica-oni inserviunt, organa occupatissima sunt, quocirca in syste-ate glanduloso facile obstipationes oboriuntur, aut certe ıccorum laxitate atque tenacitate morbi maxime in mucosas ergunt. Huic rei attentus esse debet medicus, quia tunc sem-er provinciam promtam habebit, quo medicatrices dirigat res. Etiam serosarum tunicarum inflammationes cum muco-ırum affectione intime cohaerent et a catarrhalibus plerum-ue initiis nascuntur, ita ut medicus etiam in adversissimis bus nescius haerere non possit, quo materiam peccantem de-vare, quaenam colatoria aperiri oporteat.

Vita.

Natus sum, Hermannus Pohl, fidei catholicae addictus, die X. mensis Decembris a. XXXIV. h. s. Landeshuti, oppido Silesiae inferioris patre Augusto, matre Carolina, e gente Wittwer, qui ut mihi per longissimum tempus incolumes serventur in dies precor. Primis literarum elementis in schola patriae imbutus adii gymnasium Nissense, quod etiam nunc directore Zastra maxime floret. Auctumno deinde anni h. s. LV. testimonio maturitatis instructus hanc almam literarum universitatem Viadrinam petii et ab ill. Betschler, illo tempore fasces academicos tenente civium academicorum numero adscriptus apud. ill. Frerichs, tum gratiosi medicorum ordinis decanum maxime spectabilem nomen rite professus sum. Quotuor semestribus peractis Berolinum me contuli et civium academicorum numero a viro ill. Budorff t. t. rectore magnifico adscriptus, nomen dedi decano medicorum ordinis spectatissimo ill. Mitscherlich. Duobus ibi semestribus peractis universitatem adii Viennensem, ubi unum peregi semestre, dein iterum Vratislaviam me contuli, ubi ab ill. Haase civium academicorum numero adscriptus ill. Benedict nomen rite dedi.

Per quadriennium disserentes audivi viros illustrissimos, celeberrimos, experientissimos:

Aubert, Barkow, Benedict, Betschler, Braniss, Braun, maj. et. min. natu, Ebert, Frankenheim, Frerichs, Goeppert, Grosser, Grube, Hebra, Heidenhain, Henoch, Hyrtl, Jueng-

en, Kahlert, Lewald, Loewig, Ludwig, Middeldorpf, beat. lega, Oppoltzer, Paul, Reichert, Roemer, Ruehle, Schoeller, iegmund, Stellwag de Carion, Traube, Virchow.

In excercitationibus anatomicis ill. Barkow et Hyrtl, hysiologicis ill. Heidenhain, in clinico obstetrico ill. Betschler, ı clinico medico ill. Hebra, Oppoltzer, Ruehle, Siegmund, raube, in clinico chirurgico ill. Juengken et Middeldorpf uces mihi fuerunt benevolentissimi et excellentissimi.

In excercitationibus clinicis benignissime me adjuverunt xp. D. D. Freund, Langer, Marmé, Ressel, Stark, Valeniner.

Quibus omnibus viris ill., celeb., éxp. ex intimo animo ratias ago quam maximas.

Tentaminibus vero et philosophico et medico atque exaıine rigoroso superatis spero, fore ut dissertatione rite defensa ummi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

I. Primis vitae mensibus infanti praeter lactem alio nutrimento opus non est.

II. Kali jodatum antisyphiliticum remedium non est.

III. Ad aquas in partu rumpendas omnia instrumenta sun[t] rejicienda.